

donationes §. 1. *I. de leg. arg. L. 18. ff. de adim. & transf. leg.* quæ in meretricem cadunt.

Quicquid vero hisce modis meretrici fuerit acquisitum, de eo certe liberum haber disponendi arbitrium secundum regulam generalem *L. 21. C. Mand.* nusquam enim istud in Jure restrictum reperitur. Et licet contrarium videatur eliciendum ex *L. & mulieri 15. pr. ff. de Cur. fac.* ubi *¶ Citus Paulus, mulieri luxuriose viventi bonis interdicens* esse ait: id tamen de meretrice præcise accipi nequit. Meretrix enim non tam luxuriose, quam lascive & libidinose vivere dicitur. Et luxuria magis vox *συνώνομα* intemperantiæ est, quam libidini in specie; ut sic denotet quamcunque immoderationem circa voluptates. Hinc *Isidoro in Comm. differ. ap. Bartb. lib. 40. adversar. cap. 10. pag. 1707.* luxuriosus appellatur, quasi luxatus in voluptates, uti membra loco mota luxata vocantur vel luxa. Luxuriosi vero cum patrimonium sæpe universum absument, & proterviam, quod dicitur, faciant, bonis etiam recte ipsis interdicitur. Luxuriæ enim filiam inopiam esse, quacum ætatem luxu perditus exigat, vel ex *Trinummi Plautini Prologo* constare potest. Neque vis vocis istius *¶* *Luxuria* aliena plane à sensu juris est; utpote in quo ea non modo summam ingenii levitatem ac supinam incuriam, per quam bona dissipari solent *L. 11. ff. de incend. ru. naufr.* sed etiam prodigam erogationem facultatum & luxum ipsum denotat *L. ex damm. 40. in f. pr. ff. de dam. inf.* Quocirca in *d. L. 15.* non de meretrice agitur, sed de qualibetcumque muliere dissoluta & prodigaliter vivente: de qua, si fortean sine rutore relicta esset (cum mulieres olim in perpetua essent tutela propter imbecillitatem sexus, *Ulpian. in fr. rit. 11. pr. Gell. l. 5. N. A. c. 13. add. Cujac. l. 7. Obs. c. 11.*) merito quæstio moveri potuit, annon prævia interdictione bonorum Curator ei dandus esset.

Quandoquidem vero meretrici bonis non interdictum est; *¶* recte quoque eidem non liberum tantum de quæstu suo inter vivos disponendi arbitrium asserimus; sed facultatem etiam de illo herstandi salvam relinquimus. Cum enim factio testamenti activa ex genere permissorum; nemini quoque deneganda erit, nisi